

iplo tractu, in quo NASSAVIENSIS arx condita est, cum suis Suevis confedit: in qua regione, vel certe haud longe ab ea, Rhenus a Cæsare ponte mirabili structura, raro invento, legitur commissus, atque exercitus Romanus ad frangendos depellendosque Suevos, tamen etsi inani conatu, utpote qui jam, cognito Cæsaris adventu, in silvas inreperant, transductus; cujus dein pontis, postquam militem suum, annonæ metuens penuriam, reduxerat, *ultimam partem, que Ubios contingebat, rescidit.* Uti videre est *comment. de bello Gall. lib. VI. cap. VI.* Atque hanc rationem adeo esse firmam putamus, ut a nemine facili infringi posse negotio omnino confidamus.

XVI.

Jam vero, quantum his omnibus robur accedit, ubi consideramus III. *Suevos* illam, ad quam confederant, Rheni ripam, illas ab se occupatas Ubiorum terras, perpetuo dein tenuisse. Nam (a) ex his finibus Treveris paullo post contra Populum Romanum rebellantibus auxilia miserunt. Huc faciunt Cæsaris, quæ l. c. cap. III. extant, verba: *cognita Cæsaris causa, ab NB. SUEVIS auxilia missa esse,* (scilicet rebellantibus Treveris) *Ubiorum, qui hoc sibi intentato crimine se purgant, satisfactionem accepit.* (b) Ubios primo *vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores* (Cæsaris iterum verba ad lego lib. IV. Cap. I.) *infirmioresque redegerunt.* (c) dein plane eos finibus suis eiecerunt, atque cis Rhenum fugere coegerunt; quod Strabo lib. IV. *Geograph.* his testatur verbis: *εφ' ων (scilicet Σουηβων) οι εξελαυνόμενοι κατεφυγον εις την εντ' του Ρηνου, a quibus (Suevis) pulsati confugerunt in citeriorem Rheni ripam.* At quinam pulsati? certe Ubii; nam illam vocem ante vocabulum  
εξελαυν-